

*Q. D. B. V.*

IMPERATORES ROMA-  
NOS GERMANICOS

ANTE

IMPERATOREM CAROLVM M.

*SVB PRAESIDIO*

IOHANNIS DAVIDIS KOELERI P. P.

IN DISPVATIONE CIRCVLARI

*D. VII MAII A. C. MDCCCXXVIII*

HABENDA

EX MONVMENTIS FIDE DIGNIS

BREVITER RECENSEBIT

IOHANNES HENRICVS DRVMEL

NORIMBERGENSIS.

---

*ALTORFII*

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII. ACAD. TYPOGR.

*Æ. CXXXI. FÆ.*

Coll. diss. A  
87, 22

*dy. A 187 (22)*



*ILLVSTRIBVS GENEROSISSIMISQVE*  
DOMINIS  
DN. HIERONYMO GVILIELMO  
EBNERO

AB ESCHENBACH IN GVTTENBVRG ET ERLENSTEGEN  
S. R. I. LIB. ET PERILLVSTRIS REIP. NORIMBERGENSIS  
SEPTEMVIRO CVRIAE TVTELARIS ET CANCELLARIAE PRAE-  
FECTO ITEMQVE ACADEMIAE PATRIAE ETC.  
CVRATORI SPLENDIDISSIMO

DN. IOHANNI SIGISMVND O  
HOLZSCHVHERO

AB ASPACH IN HARLACH ET THALHEIM  
S. R. I. LIB. ET PERILLVSTRIS REIP. NORIMBERGENSIS  
SENATORI CONSVLARI ET PROVINCIVM PRAEFECTO  
SVPREMO GRAVISSIMO

PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS FELICIBVS  
PARITER ET  
GENEROSISSIMARVM STIRPIVM ANTIQVITATE  
GLORIA MERITORVM IMMORTALI  
PRVDENTIA IN REBVS GERENDIS PROVIDENTISSIMA  
ASSERTIONE IVSTITIAE RELIGIOSA  
MAXIME CONSPICVIS

VITAM LONGAEVAM ET TRANQVILLAM  
PERPETVA ILLVSTRIVM FAMILIARVM INCREMENTA  
SVCCSVS CONSILIORVM PROSPERRIMOS  
FAMAM FACTORVM GLORIOSORVM SEMPITERNAM  
PIO ANIMO EXOPTANS

*HOC SPECIMEN ACADEMICVM*

SVIS

MAECENATIBVS GRATIOSISSIMIS

OB INNVMERA BENEFICIA EADEMQVE MAXIMA

ET SVA STVDIA PORRO COMMENDATVRVS

SVBMISSE OFFERT ET CONSECRAT

SERVVS SVBIECTISSIMVS

IOH. HENR. DRVMEL.

I.



agnomen GERMANICI delatum quidem est fere Imperatores  
 omnibus Imperatoribus Rom. inde a Caio Cae- Germanici  
 sare, ob victorias de Germanis reportatas & sub a nobis di-  
 actas prouincias, vid. SVETON. *in Claud. cap. 1.* Germanicis  
 & *in Vitell. cap. 8.* PLINIVS *in Paneg. Traiani* populis orti,  
*cap. 9.* GOLZIVS *in Thesouro rei antiquariae*, p. 38. EZ. SPAN-  
 HEMIVS *in Obseruat. ad Iuliani Imp. Orat. I.* p. 240. imo ob ean-  
 dem causam Valerianus, Gallienus & Postumus Imperatores in  
 nummis dicti sunt GERMANICI MAXIMI. vid. GOLZIVS *l. c.* p. 113.  
 Sed ego recensebo eos Imperatores, qui ex Germanicis populis  
 passim per orbem R. diffusis orti, ad imperium R. peruenerunt.

II.

Quemadmodum primus ex Africa Imperator R. fuit Seuerus, *Horum pri-*  
 vid. EVTROPIVS *libr. VIII. cap. X.* ita primus ex Germanica gente *mus Maxi-*  
 ad imperium accessit MAXIMINVS, genitus quippe A. C. 173. ex *minus pater,*  
 patre GOTHO, infimae sortis, nomine Micca, & matre Ababa, *A. C. 235.*  
 Alana, in vico Thraciae, uti ipse primis temporibus prodidit,  
 postea vero, ubi ad imperium venit, oculi praecepit, ne utro-  
 que parente barbaro genitus Imperator esse videretur, & propter  
 humilitatem generis barbarici a nobilitate Rom. contemneretur.  
 vid. IVL. CAPITOL. *in eius Vita, cap. 1. & III.* Hinc etiam ama-  
 tus est unice a Gothis, quasi eorum ciuis, teste eodem scriptore,  
*cap. IV.* Eius genus HERODIANVS *lib. VI. cap. 8.* τῶν ἐνδοτάτων  
 θετικῶν καὶ ΜΙΞΟΒΑΡΒΑΡΟΝ vocat, quod vocabulum Grae-  
 cum vltimum falso *semibarbarus* redditur; sed hoc potius indicat,  
 MAXIMINVM ex gente *mixta*, ex barbaris & Thracibus, siue Gothis  
 & Alanis, originem traxisse. Proceritas corpotis, ignorantia lin-  
 guae Latinae, frequens haustus Capitolinae amphorae vini, pro-  
 dunt etiam Germanum. CAPITOLIN. *cap. II. III. IV.* Tanta enim  
 magnitudine, referente Codro, fuit, vt octo pedes digito vide-  
 retur egressus. Sed haec altitudo Celtica fuit. A PHILOSTRATO  
 enim

enim in *Vitis Sophistarum*, L. II. c. 1. in *Vita Herodis*, §. 7. describitur adolescens Κελτῶ μεγάλῳ ἴτος, καὶ ἐς οὐτῶ πόδας τὸ μέγεθος, *Celtae magno similis octoque pedum magnitudine*. *Burgundos septipedes* semel atque iterum dixit SIDONIUS *lib. VIII. ep. 9. et Carm. XII.* Septem pedum proceritatem Carolo M. Imp. etiam attribuit EGINHARTVS, *de eius vita c. XXII.* Placet autem valde idonea emendatio textus Capitolini in vita Maximini sen. a CASAVBONO *in notis p. 188.* instituta ex verbis eiusdem scriptoris, *in vita Maximini iun. cap. II.* Nam quod ibi legitur, *ut octo pedes digito videretur egressus*, censet corruptum, & notis in sedem suam restitutis scribendum: *ut octo pedes digitis VI diceretur egressus.* Putat enim, imperitum librarium, cum offendisset compendio scriptum *VI dretur*, fecisse *videretur*. In hanc sententiam eum perduxit idem Capitolinus *in vita Maximini iun. c. II.* asserens, Maximinum fuisse *pedum ut diximus octo & prope semis.* Si ergo Maximinus octo pedes digito tantum excefferit, hanc mensuram longe abfuisse a dimidiato pede ait, qui digitos transversos continebat sedecim; hac de causa in superiore loco digitorum numerum fuisse adiectum satis probabili ratione inductus autumat. Idem videtur SALMASIO, *in emendat. & not. ad Capitol. p. 248.* qui etiam statuit numerum illum VI facile potuisse absorberi similitudine prioris syllabae sequentis vocabuli *videretur*, quod ab iisdem litteris incipit. Si etiam ex sententia TACITI *in vita Agricolae cap. XI.* magni artus Germanicam originem adseuerant; non praetermittendum est, Imp. Maximinum fuisse pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio, siue armilla, uteretur pro anulo, teste CAPITOL. *l. c.* Idem *c. III.* dicit, Maximinum *oculorum magnitudine excelluisse*; atque EGINHARTVS *l. c.* ait, Carolum M. fuisse *oculis praegrandibus atque vegetis.* Denique insignis pudicitiae specimen arguit Maximinum fuisse Germanum. Nam ob iocum turpissimum infamis principis Heliogabali, quo eum ita percontatus est: *Maximine, sedecim & viginti & triginta milites diceris aliquando lassasse; potes tricies cum muliere perficere?*  
a mili

a militia discedere voluit, nisi eum retinuissent amici illius, nunquam tamen ad manum eius accessit, nunquam tamen illum salutavit per totum triennium huc atque illuc discurrens. vid. CAPITOLIN. c. IV. V. Ex pastoritia vita ob robur corporis incomparabile, quo in lucta sedecim unus uno sudore deuicerat, inter milites, & mox, post subactos septem alios fortissimos commilitones, inter stipatores corporis, ab Imp. Seuero allectus, postea per omnes militiae gradus adscendit, & demum alae Pannonicae Dux, quasi manu ductus a fortuna, suo iussu A. C. CCXXXV. d. 14. Martii trucidato a tyronibus optimo Imperatore, Alexandro Seuero, sola exercitus voluntate, nulla Senatus intercedente auctoritate, ad imperium peruenit. CAPITOLIN. c. II. VII. Bellum aduersus Germanos ab Alexandro coeptum feliciter continuauit, & Germaniam Transrhenanam caedibus & incendiis maxime vastauit. vid. HERODIAN. L. VII. c. II. CAPITOLIN. c. XII. Hoc prospere confecto Sirmii traduxit hiemem, constituitque omnes tam Germaniae, quam Sarmatiae, nationes septentrionales atque maritimas subigere: sed hoc propositum interuertit exercitus Rom. in Africa militantis subita & ingens seditio A. C. 237. mense Aprili coepta, qua duo Gordiani aduersus Maximinum dicti, & a S. P. Q. R. accepti sunt. Quibus etiam mox mense Iulio eiusdem anni occisis idem Senatus surrogauit Pupienum, Balbinum & Gordianum parvulum, & Maximinum hostem iudicauit. Cum ergo Maximinus ad hanc defectionem vlciscendam infesto animo Italiam ingrederetur, & Aquileiam oppugnaret, a militibus, ob crudelitatem iratioribus redditis, & omnium rerum penuria laborantibus, verno tempore, & quidem mense Martio A. C. 238. in tentorio cum filio obruncatus fuit. vid. CAPITOL. cap. XII - XXIII. HERODIAN. VII. 4 - 12. VIII. 1 - 5. Ad quartum imperii annum eum peruenisse ostendunt nummi eiusdem Graeci & Latini apud MEDIOBARBVM p. 329. & BANDVRIVM. Graeci aliquot signati sunt lit. Δ. Latini clare exhibent: TR. P. IIII. Annum aetatis LXV eundem attigisse tradidit CHRONICON ALEXANDRINVM pag. 628.

Trucu.

Truculentus sane Imperator, qui crudelibus & asperis moribus sibi odium generis humani & Gothico nomini maximam infamiam contraxit.

III.

II.  
Maximinus  
filius.  
A. 235.

Maximino patri adiungendus filius MAXIMINVS, a patre statim post raptum imperium Caesar dictus, de quo disquiritur, annon potius patris in imperio collega & Imperator Augustus fuerit. Nam I.) adsunt duo nummi in GOLZIO, in quibus AVGVSTVS dicitur, II.) hoc affirmare videntur aliquot CAPITOLINI non obscura testimonia, qualia sunt in Maximino sen. c. VIII: *Maximinus primum e corpore militari Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatum dato.* & c. XVII: *Causa iracundiae contra filium haec fuit, quod eum Romam ire iusserat, cum primum Imperator factus est, & ille patris nimio amore neglexerat; in Maximino iun. c. III. epistolam indidi patris Maximini, Imperatoris iam facti, quae docet, idcirco se etiam filium suum appellasse Imperatorem, — fuit autem talis epistola: Ego cum propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum, Imperatorem appellari permisi.* & c. IV. *dixerunt aruspices: duos Imperatores non diuturnos ex una domo iisdem nominibus futuros.* Sed his alia testimonia opponenda, quibus Maximinus saltem CAESAR dictus. I.) HERODIAN. *libr. VIII. c. IV.* II.) ipsius CAPITOLINI *in Vita sen. Maxim. c. XXII: Inter haec Maximinus cum filio suo adolescente, quem Caesarem appellauerat & c.* III.) lapidis litterati milliaris apud forum Sebusianorum in Gallia, apud SPONIUM p. 157:

IMP. CAES. C.  
IVL. VERO MA  
XIMINO PIO FEL  
AVG. GERMANICO  
M. DAC. M. SAR. MAX.  
PONT. M. TR. POT. III.  
COS. PROCOS. P. P. O. M. PR.  
N. ET. G. IVL. VERO  
MAXIMO. GER. M.  
NOBIL. CAES. AVG. N.  
FILIO A. P. SEC.

L, III.

Num.



Nummos Golzianos vero tanquam spurios rejicit Pagi in Crit. Baron. T. I. p. 218. probatque per haec tempora Caesares passim Imperatores fuisse nuncupatos. Fuit autem MAXIMINVS filius pulcherrimus nitidissimusque omnium Caesarum, qui unquam fuerunt, periitque cum patre suo ad Aquileiam, anno aetatis secundum quosdam vicesimo primo. vid. CAPITOL. in eius Vita c. I. II.

IV.

TERTIVS, qui in censum Imperatorum Germanicorum ante Carolum M. venit, est T. AELIVS PROCVLVS, Albingauni, quod erat oppidum Liguria maritimae, quidem natus, a Francis tamen originem trahens, & inter ludum iocumque a Lugdunensibus praecipue & exercitu Rom. ibi commorante Imperator contra Probum Augustum salutatus A. C. 280. Cum ab hoc undique persequeretur, ob fiduciam communis originis, Francorum auxilium frustra postulavit, siquidem ab istis proditus & Probo ad caedem traditus fuit A. C. 282. vid. VOPISC. in Probo c. XVIII. & in Procuro. S. AVREL. VICTOR. c. 37. EVTROP. lib. IX. c. II.

III.  
Proculus,  
A. C. 280.

V.

QUARTVS in numero Imperatorum Germanicorum ante Carolingicos est MAGNENTIVS, occiso Constante Augusto A. C. 350. die XV K. Febr. ab exercitu Imperator proclamatus. Ex Germania hunc ortum fuisse docet IVLIANVS in Orat. I. p. 34. ubi eum vocat τῆς ἀπὸ Γερμανῶν λείας λειψανον δυσυχῆς περισωζόμενον, de Germanorum praeda servatas infelices reliquias; ait quoque ibidem, ipsi adfuisse in tumultu κατὰ τὸ ξυγγενὲς σύμμαχοι προθυμότεστοι φεράγχοι, καὶ Σάξονες, τῶν ὑπὲρ Ῥήνον, καὶ τὴν ἐσπερίαν θάλατταν ἐθνῶν τὰ μαχιμώτατα, cognationis nomine promptissimos commilitones, Francos & Saxones, qui ultra Rhenum atque occidentis mare habitant, nationes omnium pugnacissimas. Orat. II. p. 56. quoque dicit, Magnentium tot gentes Germanas comites habuisse, ob solam cognationem: τῶν δὲ τῶν ἐθνῶν ἐξαναθήσας ἐκ ἑλλάττον πλῆθος τῆς οἰκοθεν αὐτῶ ξυνεφερομένης στρατῆας. μᾶλλον δὲ τὸ μὲν αὐτῶ ξύμφυλον. A ZOSIMO pariter Lib. II. c. 54. Hist. dicitur γένος ἑλκῶν ἀπὸ βαρβάρων, μεταικήσας καὶ εἰς λετὲς ἔθνος Γαλατικόν, πικρίας

III.  
Magnentius  
A. C. 350.

τε τῶν Λατίνων ματαχῶν, *originem generis a barbaris habebat, cumque commigrasset ad Letos, quae Gallica natio est, litteras Latinas didicerat.* Barbara vero gens ea tempestate semper dicitur Germanica a Rom. Scriptoribus. Negat quidem TRISTANVS T. III. *Hist. Imp. per numismata p. 644.* Magnentium Germanum fuisse, conaturque eum vindicare Galliae suae, quasi Augustoduni natum, patre Magno, ac, vt e Romano illo eiusdem nomine colligit, illustri ac splendido inter Britannos genere orto. Nititur hac in sententia primo auctoritate STEPHANI *de urbibus p. 228.* qui in voce ΔΕΚΕΝΤΙΟΙ Decentium, Magnentii fratrem, patre Magno natum tradidit: ΔΕΚΕΝΤΙΟΥ τῆ Μαγνῆ πατρὸς Μαγνηνίου δὲ ἀδελφοῦ; deinde etiam fide ZONARAE, qui vnus refert L. XIII. c. 6. Magnentii patrem Britannum fuisse. Sed merito tuetur EZ. SPANHEMIVS *in Observ. ad Iuliani Imp. Orat. I. p. 220.* Magnentii ortum Germanicum a Iuliano traditum, & non solum reiicit Zonaram longe recentiore scriptorem, verum etiam luculenter docet, nobilissimum antiquarium iniuriam quodammodo suae genti facere praeter omnem veteris historiae fidem, dum, quae de diro atroque Magnentii ingenio, *utpote gentis barbarae*, a coaeuo auctore AVREL. VICTORE *de Caes. c. 41.* & a ZOSIMO *l. c.* dicuntur, de eo, Augustoduni in Lugdunensi seu Rom. prouincia cultissima dicta censeridebeant. Magni etiam nomen Romanum a patre Magnentii, more aliorum captiuorum, adsumtum fuisse, statuit. Imp. Magnentius bis cum Constantio Augusto pugnavit, & victus est, semel ad Murfam, ad Drauum in Pannonia d. IV. Kal. Octobris A. C. 351. atque iterum Roma Italiaque, quo se post hanc cladem receperat, per duces Constantii pulsus, ad montem Seleucum inter Lucum & Vapincum situm, hodie vero *Montsaleon* dictum, & in Delphinatu tridui spatio ab vrbe Lugduno situm, A. C. 353. Desperatis itaque rebus Lugdunum confugiens ibi se in palatio III. Idus Augusti interfecit, postquam tribus annis & VI mensibus imperasset. vid. IDATIUS *in fastis consular. T. II. opp. Sirmondi p. 261.* IULIAN. *in Orat. I. & II.* SOCRATES L. II. c. 32. SOZOMENVS L. IV. c. 1. ZOSIMVS L. II. c. 42 - 54. AVREL. VICTOR *in Epitome c. 41. & 42.*

VI. Ma-

VI.

Magnentio adiungendus est frater DECENTIVS, ab eodem A. C. 351. Caesar dictus, Galliisque praefectus. ZOSIMVS L. II. c. 45. & AVR. VICTOR, qui eum saepenumero expressit in *epitomes* c. 42. Decentium quidem γένει συναπλόμενον, propinquum Magnentii, vocant; HIERONYMVS vero in *Chronico*, & alter AVR. VICTOR in *Caesar*. c. 42. eundem fratrem expresse vocant. Voluit quidem fratri in maximas angustias coniecto subuenire, sed cum in itinere Italico percepisset eiusdem infaustum fatum, & in turmas quasdam militares incidisset, apud Senonas decimo quinto Kal. Septembris laqueo se suspendit. vid. ZOSIMVS L. II. c. 54. HIERON. in *Chron.* & IDATIVS in *fastis* l. c. Libellus de *Praefectis Urbis*, eo anno, quo Constantinus Aug. V. & Constantius Gallus Caesar Consulles fuerant, qui annus erat Christi 352, Decentium & Paulum Coss. appellat, iis nempe in regionibus, quae in fratris eiusdem potestate erant. Afferit quoque MEDIOBARBVS p. 485. nummum, in quo Decentius non, vt in reliquis nummis, Caesaris, sed Augusti nomine insignitur, nempe: D. N. DECENTIVS P. F. AVG. quod etiam a SPANHEMIO tanquam singulare quid in *Observat. Iulian. Orat. I.* p. 264. annotatur.

V.  
Decentius  
A. 351.

VII.

His succedit SILVANVS, filius BONITI Franci, pro Constantini partibus in bello civili acriter contra Licinianos saepe versati. vid. AMMIAN. MARCELLVS L. XV. c. 5. Eum in Gallia ortum fuisse barbaris parentibus, dixit AVREL. VICTOR in *Caes.* c. 42. Hic tribunus copiarum equestrium defecit in praelio ante Mursam a Magnentio, qua defectione meruit Magisterium peditum a Constantio Imperatore, atque ab eo postea in Gallias missus est, vt eas a caedibus, rapinis, incendiisque barbararum gentium defenderet. Postea aegre tulit indignos a Constantio Augusto ad consulatum potestatesque sublimes promoueri, seque post tot labores exantlatos negligi, & praeterea animaduertit, se calumniis peti. Hac de causa salutis suae vltimum praesidium in arrepto titulo Augusti desperabundus quasi quaesivit, sed in ipso conatu nouarum rerum Coloniae Agrippinae A. C. 355. die vigesimo nono tyrannidis a militibus tumultuantibus

VI.  
Silvanus  
A. 355.

ad conuenticulum ritus Christiani confugiens fuit trucidatus. vid. AMMIAN. MARCELL. & AVR. VICTOR *l. c.* IVLIAN. *Orat. II. ad Constantin.* ZONAR. *Annalium L. XIII. c. 8.* EVTROP. *L. X. c. 7.* Golzius & Scaliger producunt *in animadu. ad Eusebium p. 234.* nummos, in quibus legitur: DN. FL. SILVANVS. P. F. AVG. sed hos tanquam spurios respuit TRISTANVS *T. III. p. 660.* & EZ. SPANHEM. *in obseruat. ad Iul. p. 308.* ob breuissimam Siluani tyrannidem, quae trigesimum diem non excessit.

VIII.

Neque praetermittendi sunt isti Heroes, qui nomine quidem Imperatoris caruerunt, omnem tamen potestatem Imperatoris scriptorum consensu tenuerunt, quales fuerunt Triumviri inclutissimi, ARBOGASTES, RICIMER, & STILICO. ARBOGASTES, teste SVIDA *T. I. p. 13. Φερίγγος, Francus,* & CLAUDIANO *de Cons. IV. Honorii v. 74.* Germanus exul, & ZOSIMO *L. III. c. 53. ἐκ τῆς Φερίγγων ὀρμώμενος ἔθνης,* Magister equitum apud Valentinianum II Imperatorem iussu Theodisii Augusti A. 388. tanta auctoritate & libertate erga Principem, vt multa etiam eius facta a se non comprobata corrigeret, & prohiberet. Cum itaque ob hanc seueritatem iniustum se reddidisset Domino, atque hic cogitaret de eo exauctorando, Arbogastes acrius se opposuit Imperatoris voluntati, porrectumque libellum repudii discerpfit, & in terram proiecit inclamando: *potestatem a Theodosio datam Valentinianum ipsi eripere non posse.* Sed instante etiam Valentiniano apud Theodosium, vt arrogantiam Arbogastis compesceret, Arbogastes sibi metuens Valentinianum apud Viennam A. C. 392. Idibus Maii dolo ita strangulare iussit, vt voluntariam mortem sibi laqueo consciuisse putaretur. Post hanc caedem ipse quidem, propter genus sibi diffusus, abstinuit a purpura, eandem tamen contulit Eugenio, Rhetori ac Scribae, sibi Rigomeris commendatione amicissimo. Hos vero numero ac viribus impares intra Alpium claustra, iuxta fluuium Frigidum, adortus est Imp. Theodosius A. C. 394. VIII. Idus Septembr. & profligato eorum exercitu Eugenum captum interfecit, ARBOGASTEM vero post praelium in montem asperrimum fugientem ad voluntariam mortem compulit. ZOSIM. *l. c.* OROSIVS *L. VII. c. 35.* SOZOMENVS *L. VII. c. 22.* PHI-

LOSIOR-

Triumviri  
Germanici  
potestate  
quidem, sed  
non titulo,  
Impp. Rom.

1) Arboga-  
stes.  
A. 388.

LOSTORGIVS L. XI. c. 2. AVR. VICTOR *in epit. c. 48.* & MARCEL-  
LINVS *ad h. a.* IX.

Arbogasti ob fortunae potentiaeque similitudinem merito ad-  
iungendus INVICTVS RICIMER, quo epitheto fuit ornatus  
a SIDONIO *Carm. II. v. 352.* qui etiam ibidem *v. 360.* ita ejus  
parentes indicat, canens de Genserici Vandalorum Regis invidia:

2) Ricimer.  
A. 454.

*Tum liuet, quod RICIMEREM  
In regnum duo regna vocant: nam patre Sueuus,  
A genitrice Gethes, simul & reminiscitur illud,  
Quod Tartessiacis auus huius Vallia terris  
Vandalicas turmas, & iuncti Martis Alanos  
Strauit, & occiduam texere cadauera Calpen.*

Doctissimus quidem Sidonii Commentator IO. SAVERO *in no-  
tis ad L. I. epist. V. p. 38.* parentem Ricimeris Romanum fuisse  
putat; verum vel sui ipsius immemor, vel postea se ipsum corri-  
gens *in notis ad dictum carmen p. 26.* admittit patrem Sueuum,  
a Sidonio indicatum, coniectatque eum fuisse Riccilam, Regem  
Sueuorum in Hispania. Hic post mortem Aetii magister vtrius-  
que militiae & demum Patricius factus per annos quindecim quin-  
que occidentis Imperatores ludibrio habuit. Primo enim coegit  
Auitum Imp. A. C. 456. imperium abdicare Placentiae, & Episco-  
patum huius urbis suscipere, vid. *Chronographus Cuspiniani* & EVA-  
GRIVS *Libr. II. c. 7.* Rerum summa ergo per interregnum vn-  
decim mensium penes RICIMEREM fuit, vid. SIDON. APOL-  
LIN. *Lib. I ep. II.* & SIRMONDVS *in notis p. 67.* donec eius  
suffragio & Leonis Imp. Orient. consensu IULIVS MAIORIA-  
NVS A. C. 457. Kal April. prope Ravennam Augustus appella-  
retur. Sed etiam hic bellum adversus Vandalos in Hispania ge-  
rens in ciuitate Dortona A. C. 461. die IV Non. August. deposi-  
tus. vid. *Chronograph. Cuspinian & Sidon. Apoll. Carm. v. 373.*  
& VII. Idus August. ad fluuium Hyram immisis a RICIMERE percuf-  
foribus interfectus fuit. Autoritate RICIMERIS die XVI Kal. De-  
cembr. substitutus Maioriano fuit SEVERVS, cuius auspiciis RI-  
CIMER repressit Alanos haud procul Bergamo A. C. 464. VIII. Idus  
Febr. caeso in acie eorum Rege Beorgore vid. *Chronogr. Cuspinia-*

ni. Anno vero sequenti RICIMERIS fraude Seuerus etiam Romae in palatio veneno peremptus est, teste CASSIOD. *in Chron. p. 50.* Post eius mortem a Senatu R. per biennium fere commissa fuit Respubl. RICIMERI, inuito Leone orientis Imp. qui submisit ANTHEMIVM A. C. 467. virum nobilissimum & Constantinopolitanum, cuius filiam Ascellam RICIMER duxit coniugem, vid. SID. APOLL. *L. I. ep. 5.* ipsique habenas imperii occidentalis commisit: sed neque haec concordia diuturna fuit. Nam factione RICIMERIS ANICIVS OLYBRIVS A. C. 472. Imperator dictus & Anthemius v. Idus Iulias in fuga occisus fuit. vid. CASSIOD. *in Chron. p. 51.* cui sceleri neque RICIMER diu superfuit, sed post dies XLVI. fato fuit functus, & quidem die xv Kl. Septembris. vid. *Chronograph. Cusp. p. 455.* Et quidni hunc potentissimum RICIMEREM totque Imperatorum Autorem inter Imperatores Rom. Germanicos referamus, cum etiam in promptu sit nummus in BAVDELOT de DAIRVAL *Libr. de Vtilitate peregrinationis Tom. II. p. 672.* qui eius vultum Augustalem refert, cum epigraphe: D. N. RICIMERVS. P. FEL. AVG. MARCELL. etiam in *Chron. p. 43.* eundem his verbis regem vocat: BEORGOR REX ALANORVM A RICIMERE REGE occiditur.

X.

3) Stilico,  
A. 395.

Non dubito demum hisce annumerare STILICONEM, Vandalorum genere editum vid. OROS. *L. VII. c. 38.* Virum secundum elogia in basibus marmoreis Romae asseruatis apud Gruterum *Inscriptionum p. CCCXII. num. III.* *Illustrissimum, bis Consulem ordinarium, magistrum equitum peditumque, comitem domesticorum, tribunum praetorianorum, & ab ineunte aetate per gradus clarissimae militiae ad culmen gloriae sempiternae & Regiae affinitatis euectum, Digni Theodosii Augusti comitem in omnibus bellis atque victoriis, & ab eodem filio Honorio, occidentalis imperii haeredi ac principi, datum Curatorem & Rectorem, de eo enim PHILOSTORGIVS grauis scriptor L. XI. c. 3. hoc scribit: In orientis quidem partibus Rufinus apud Arcadium suam potestatem obtinebat, in occidente autem STILICO apud Honorium eundem obtinebat locum. Vterque enim istorum imperii nomen ac speciem penes utrumque filiorum Theodosii remanere facile passus est, robur imperii penes se retinuit, alter sub magistri militum, alter sub praefecti appellatione Imperatori suo imperans, neuter porro illorum eo loco, quem inter Principes suos obtinebat,*  
CON-

contentus fuit, nam Rufinus quidem imperatorium nomen ad se ipsum trahere omni arte studebat; STILICO vero filio suo Eugenio imperium vindicare nitebatur. Idem L. XII. c. 2. refert STILICONEM adeo manifeste & sine ullo metu tyrannidem exercuisse, ut etiam nummos percuteret, in quibus praeter ipsius effigiem nihil deerat. Concinit CLAUDIAN. in Rufinum L. II. v. 4.

*Iam quo tuis, STILICO, Romana potentia curis,  
Et rerum commissus apex, tibi credita fratrum  
Vtraque Maestas, geminaeque exercitus aulae.*

Haec testimonia luculenta fatis docent STILICONI ad possessionem imperii omnibus numeris absolutam nihil defuisse praeter nomen, quod filio Eugenio potius, quam sibi imponere studebat. Sed in hoc molimine arte Olympii fuit impeditus, gratiaque Honorii Augusti & vita ante diem x Kl. Septembr. A. C. 408. privatus. ZOSIM. L. V. p. 819. PHILOSTORG. L. XII. c. 2. SOZOM. L. XVIII. c. 4.

XI.

Hoc in loco etiam non praetermittendae sunt Augustae ex Germania ortae, numero quidem pauciores Augustis Germanicis. Ad has vero minime refero CORN. SALONINAM, coniugem Gallieni Imp. R. quae SALMASIO, CASAVBONO, OCCONI aliisque eadem fuit, quae Pipa, sive Pipera, concubina & filia Attali Regis Germanorum, sive Marcomanorum, per pactiorem, concessa pro parte superioris Pannoniae a patre. Sed hanc pellicem longe diuersam fuisse ab vxore Gallieni, Salonina, TRISTANVS, TILLEMONTIVS, BANDVRIVS, in primis vero celeberrimus DN. Professor, CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHVVARZ in *diatriba primae miscellaneorum doctrinae antiquariae cap. I. §. II. & III.* exacte demonstrarunt, & hic commodam medelam attulit textui Trebelliano lacuna expleta, quae tot egregios scriptores in errorem induxit. Neque adducam EVDOKIAM, filiam Bautonis, natione Franci, & magistri militum fortissimi, quam Arcadius Imp. orientis A. C. 385. in matrimonium duxit, infensissimam mulierem Iohanni Chrysofomo, Episcopo Constantinopolitano, mortuam. A. C. 404. PHILOSTORG. L. II. c. 6. ZOSIMVS L. V. p. 781. 795. SOCRATES, L. VI. cap. VIII. PROSPER & MARCELL. in *Chron.* ad h. a. Nam seriem Rom. Imp. orientalium nunc minime respicimus, sed potius proferimus in medium MARIAM & THERMANTIAM, sorores, quas Stilico in matrimonio ex Serena natas principi suo Honorio Imperatori coniuges dedit, & quidem adhuc inubiles, atque unam post alteram. MARIAE enim mortuae successit in thalamo, suafu Serenae matris, imperatoriae sobolis consequendae percupidae, THERMANTIA. Haec vero post trucidatum patrem matri fuit reddita, at-

*De Imperatricibus Romanis Germanicis.*

que

que aegritudine postea A. C. 415. III. Kal. August. consumta. CLAVDIANVS in integro Epithalamio in nuptias HONORII & MARIAE, & de laudibus Sticonis L. II. v. 354 & de laudibus Serenae v. 117. ZOSIMVS L. V. c. 4. 12. 28. 35. MARCELLINVS, in Chron. p. 36. Chron. Alexandr.

XII.

De Imperatore Carausio, A. 286.

Caesar, maxime idoneus rerum Germanicarum testis, L. II. de bello Gallico c. III. Belgas plerosque ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos propter loci fertilitatem ibi confedisse scripsit: hac de causa demum non plane omittendum censeo CARAVSIVM, Menapium, militem strenuum, neque gubernandi imperitum, qui a Diocletiano Augusto & a Maximiano Herculeo Caesare apud Bonnoniam per tractum Belgicae & Armoricae, parandae classi, ac propulsandis Francis & Saxonibus piratis praefectus, ob praedam minus diligenter fisco principis illatam, morti destinatus fuit, & ad hoc vitae suae periculum evitandum A. 286. purpuram sumfit, Britanniamque occupavit, eamque per septennium defendit tam acriter, ut ad extremum pax inter eum ac Augustos R. conveniret vid. EVTROP. L. IX. c. 14. repraesentata etiam in variis nummis, praesertim in eo, quem ex Gaza Medicea produxit NORISIVS in diff. 1. de numism. Imp. Diocletiani & Maximini c. 4. in cuius anteriore parte videtur caput CARAVSII cum hoc titulo: IMP. C. CARAVSIVS P. F. AVG. in posteriore cernitur pax dextra ramum supra hastam per transversum tenens, addito lemmate. PAX AVGGG. hoc est trium Augustorum Diocletiani, Maximiani & Carausii. Quem vero virtus Rom. militum debellare haud potuit, eum denique fraus focii Allecti A. C. 293. peremit. EVTROPIVS L. VIII. c. 13. ZOSIMVS libr. VI. c. 2. AVR. VICTOR in Caesar. cap. 39.

XIII.

Habes igitur L. B. succinctam enarrationem Imperatorum vetusta generis profapia Germanicorum ante Carolum M. Vtinam vero eos sola virtus & violentia quaedam benigni fati, & non perfidia, conspiratio tumultuantium militum, aliaque scelera ad fastigium Imperii R. non tam evexerint, quam potius attraxerint; o quanta exultatione & acclamatione gauderemus de tam rara & augusta fortuna tot tantorumque virorum, & de gloria Germaniae nostrae. Sed haec magna exempla multum habent ex iniquo, quod nullatenus honore & utilitate patriae nostrae compensatur.

COROLLARIA.

- I. Gothi fuerunt origine Germani.
- II. Persecutio Christianorum sub Maximino Imperatore fuit localis.
- III. Locus TACITI de M. G. c. 2: Caeterum Germaniae vocabulum recens & nuper additum: quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis inuento nomine Germani vocarentur, bene recteque se habet.
- IV. Imperator Magnentius Christianus fuit.
- V. Iulius Lampridius Capitolinus Spartianus vnus est historicus, vulgo trifariam discerptus.
- VI. Verba VOPISCI in Proculo c. 13: Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriae splendore contriuit, non turgent glossemate, quod illis attribuit SPANHEMIVS P. II. Op. de praestantia & usu Numismatum D. XII. §. 14. p. 505.



Coll. diss. A. 187, misc. 22





